

*JESU BENEDICENTE!*  
DISSERTATIONEM MEDICAM INAUGURALEM

*De*  
**P E S T E**

*Consensu Gratirosæ Facultatis Medicæ,  
in Inclytâ Salanâ,*

**S U B P R Æ S I D I O  
AUGUSTINI HENRICI**

**FASCHII, D. Anat. Chirurg. & Botan.  
Prof. Publ. Archiatri Duc. Saxonici,**

*Dn. Patroni, Præceptoris ac Promotoris sui  
æternùm devenerandi,*

**PRO LICENTIA**

**SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES  
ET PRIVILEGIA DOCTORALIA LEGITIME  
OBTINENDI,**

*publicæ Eruditorum disquisitioni  
subjicit*

**JOHANNES Bloch/HILDESIENSIS  
SAXO,**

*In Auditorio Majori, Horis ante- & pomeridianis,  
Ad diem XIIIX. April. Anno M. DC. LXXXI.*

*ms. p. 204*

hol. spec.  
46, 40



PHARMACEUTICA

DISSERTATIONEM MEDICAM IN AU

GUULIEM

DE

P E S T E

DE O

ET

PROXIMO

PRO LICENTIA

SUMMOS IN ARTE MEDICA HONO

RES ET PRIVILEGIUM DOCTORALIA LE

GTAE OSTENDI

publici Auditorium aperiuntur

legum

JOHANNES SEBASTIANUS

SAXO

In Auditorio Majori, hinc inde & pomeridiana

die XIX. Julii 1793

Druck und Verlagsort: Leipzig, bey C. Neuberger Buchhändler.





## AUSPICE CHRISTO!

**A** Deo immissa vicinis terris CALAMITAS PESTILENS quantam præteritò annò exercuerit tyrannidem, quantam fecerit stragem, eheu! notissimum est omnibus. Nulli hac pepercit ætati, nulli sexui; sed ut lupus rabie planè effertus, omnis generis homines interemit, pagos depavit, integrasque penè civitates consumpsit. Truculentum malum, quò non truculentius ullum, silentiò quod tecta occupavit vicinorum, crudeli verò Marte, probo dolor! servit, multaque millia hominum, horrendum auditu! brevi temporis intercapedine trucidavit. O CRUCIATUS, quintus ille Ægyptiis primùm à Deò immisus! O CALAMITAS, quæ & hodie Jehovah genus humanum propter scelerum nefandorum multitudinem coercet & castigat; non injuste ea propter SAGITTA & FLAGELLUM, quibus hunc in finem utitur iusta manus DEI, vocata est pestis. Hujus natura olim adeò intricata fuit habita, ut ad solas occultas qualitates confugerint; hodiè tamen ratio causarum manifestior est reddita, per solertiam curiosorum



4

ingeniorum; quorum ductum sequemur & nos, & quid nobis de tanta pestis violentia videatur, quantum vires ingenii concedent, in dissertatione hac inaugurali proponemus. Conatus hic Tibi, Ò Misericors Deus! cedat in honoris tui perennitatem, & proximo nostro languenti in certissimam salutem!

§. I. Non immorabimur hic in ἐτύμω: sive à pascendo, quòd integras civitates aut regiones depascat; sive à perimendo, quòd quasi jaculo derepentè tactos homines perire faciat; sive ἀποτρίσιον, à cadendo, quòd cadant in peste homines, qui deducere velit vocabulum pestis, non refragabimur. Sufficiat simul brevibus delineata ἐμωυμία. Metaphoricè homo perditus dicitur pestis, qui suo improbo vitæ genere alios corrumpere & perdere potest. Lata in significatione complectitur omnem morbum malignum, contagiosum, epidemium, febrem item pestilentem. Strictè verò & κατ' ἐξοχλήν morbum illum maximè venenatum, omnium perniciosissimum, qui actiones vitales subito invadit, ἀθρόως lædit, & totam corporis nostri œconomiam unò quasi ictu invertit & supprimit. Σιωωνυμία expriment vocabula hæc: pestilentia, lues pestifera, venenum pestilens &c. Absolute etiam dicitur morbus; vel quòd omnium morborum sit periculosissimus; vel quòd omnes morbos quasi in suo comprehendat sinu; vel quòd grassante peste omnes alii morbi vel cessent, vel in eandem transformentur. Λοιμὸς Græcis audit & λοιμὴ, item νόσος & λοιμικὴ vel λοιμώδης. Germanis die Peste / Pestilens / die Seuche / & vulgariter dicitur das Sterben.

§. II. Pestis est morbus malignus & contagiosus, actiones



§.  
cordis subito & principaliter ladens, vehementissimas easque  
mortiferas anxietates eidem sæpissimè inducens, à vene-  
natâ qualitate, crasin sanguinis corrumpente, originem  
habens. Morbum & strictè sic dictum esse, sufficienter  
confirmant læsiones, in actionibus vitalibus repenti-  
næ & violentæ. Occupat verò, juxta Medicos, classem  
morborum totius substantiæ, aut occultarum qualitatum.  
Qui morbum intemperiei esse volunt, respectu habitò ad  
invasionis modum, quem horror nonnunquam comitari  
solet, & ad naturam ipsius pestis, quæ febrem malignissi-  
mam indicat, ii absurdi non videntur: licet alii aliter sen-  
tiant.

§. III. *Malignitas* tamen simul conjuncta adest maxima,  
cujus κακότης, mali mores, aut venenum tam aptum est na-  
tum, ut præcipuè vitalis, imò omnium facultatum ἐνέργειαν  
turbare, totam substantiam invertere, & uno quasi  
momento prosternere valeat. Subtile admodum hoc est  
venenum pestilens, quod sibi simile non habet. Invasit  
corpora insensibiliter, atque inopinatò occupavit, deli-  
tuit sæpè, atque anodynè instar Spiritus vitales in æter-  
nam sopivit resurrectionem; teste Medicorum Viennen-  
sium experientia.

§. IV. *Contagiosus* quàm maximè, & κατ' ἐξοχλήν talis, ex  
actu ipso, quem miserabiliter exercet pestis, est morbus.  
Et talis habetur ad differentiam aliorum morborum, qui  
similiter sunt contagiosi, non tamen tantâ cum vehemen-  
tiâ. Velociter hic repit, nonnunquam unò impetu &  
unò tempore plures unò in locò; nonnunquam successi-  
vè serpit, & in alias contagium suum diffundit regiones.  
Utrobique tamen in humanam conspirat perniciem, &  
sic simul *epidemicus* sive communis fit morbus.

§. V. *Subjectum* UT QUOD homo totus est, cujus tur-



batur corporis officina; *Ut Quo, sive adequatum ipsum, est corpus humanum.* Principale autem COR, nobilissima illa arca, quæ thesaurum vitæ fovet & continet. Non quidem hic volumus credere, venenum pestilens semper & primariò in corde generari aut residere; sed illud solum, primariò cor afficere. Non enim persuaderi patiemur, pestem fieri & exercere suam tyrannidem posse, nisi cor occupaverit. Cor principalissimum viscus, palatium Regis microcosmici, à veneno pestilentiali, quod auræ vitæ nostræ directè adversatur, invaditur dupliciter: *quatenus* calor & spiritus cum massa sanguinea in eodem turbantur, corrumpuntur, supprimuntur; & *quatenus* in officio suo & actionibus impeditur, aut planè iisdem privatur, & sic balsamum vitæ purpureum in atras mortis fuligines convertere à fermentò peregrinò cogitur.

§. VI. Aliis etiam visceribus prius, quàm cordi, communicari posse hoc ipsum pestilens contagium, nulli dubitamus. Inspiratur sæpiùs per nares, & ab his prius quidem accipitur contagium; non tamen in naribus pestis exercere suam tyrannidem poterit. Sic etiam de cerebro, faucibus, pulmonibus, ventriculo, intestinis & aliis idem sentiendum erit partibus, quæ dum fomitem fovent, subjectum fomitis sive causæ esse possunt; materia enim modò in hâc, modò in illâ parte hæret pestis, non autem effectus producere virulentos potest, nisi ipsum cordis thalamum occupaverit. Non facimus proinde cum *Helmontiò*, qui *lib. de sede anime*, subjectum primarium pestis pylorum constituit, dispositum pro adventante hóc hospite, licet malò, recipiendò. In hoc enim, *inquit*, uti primò sigillatim, ita caractere impressò, ad alias porrò partes deducitur & amandatur. Hæ porrò *proprio gas*



jam tum dispositæ beneventant hunc hospitem, qui uti in partibus primæ coctioni deditis excipitur, ita ad alias partes demissus, balsamum vitale coangustat, ut expedire se non amplius queant; unde corpus exanime relinquitur, terræ mandandum.

§. VII. *Minus principale* subjectum tota est massa sanguinea, quæ in venis æquè quàm arteriis fluctuans, omnes corporis partes naturaliter irrorat. Hæc vel à parte quâdam, miasmate hoc venenatò inquinatâ, unâ cum venosò sanguine reflò communicare cordi venenū potest; quod etiam cordi quocunque demum modò communicatum, per arterias iterum aliis visceribus, & consequenter omnibus partibus reddi potest; undè fieri debet omnium partium actionum turbatio, inversio, & totalis suppressio; & hoc eò magis, cum vel debilitatæ à naturâ vel morbo fuerint partes, vel dispositio corporis aliò modò consenserit, vel veneni ipsius violentia urserit. Unde non semper eadem ferre poterit symptomata.

§. VIII. *Causa immediata* est ipsa sanguinis corruptio & ejus *αργιότης* inversio. Constat sanguis alimentaris particulis *Α*eis dulcibus, gelatinosis, volatilibus etiam *Θ*linis blandis; quæ quamdiù in perpetuo & æquali modò permanent, blande invicem fermentant, spiritibus omnibusque corporis partibus idoneum præbent alimentum. Hic motus humorum & spirituum cum valet, nostra quoque vita valet; Morbus verò sequitur, imò ipsa mors, quando ibidem aut nimia fermentatio & ebullitio, aut stagnatio & coagulatio supervenit. In peste igitur invertitur massa sanguinea, quando *μ*ίασμα pestilens, eidem mixtum dulcedinem immutat, balsamum corrumpit, *αργιότην* ipsius aggreditur, vinculum resolvit, vigorem violat. Quæ justa, naturæ conveniens & propor-



tionata debet esse *σιτισ* feri & sanguinis, nunc impropor-  
 tionata penitusque resoluta observatur; quod dulce e-  
 rat & balsamicum, nunc acre & corrosivum deleterium est.  
 Hæc quò violentior mutatio, eò majorem inducere va-  
 let malignitatem, quatenus scilicet vel serum reddit im-  
 proportionatum, resolutum, ichorefcens; vel quatenus  
 idem planè consumit, coagulum sanguinis promoyet,  
 & quasi exsiccat. Quæ omnia ex symptomatibus super-  
 venientibus probantur, ipseque sanguis è plethorico-  
 rum venis hõc tempore emissus nigricans, grumosus,  
 adustus, omni ferè serò orbatus hæc comprobat.

§. XI. *Causa mediata proxima*, in essentiã suã considera-  
 ta, est illa ipsa veneni pestilentis qualitas, quæ cordi  
 communicata, utpote totã substantiã eidem contraria,  
 mater existit tantæ stragis. Hujus natura & vis tam mira  
 est habita, ἀρρητὸν καὶ ἀλεξιῶν *abditæ & inenarrabilis*,  
 silentio potius prætereunda, ut etiam intellectum hu-  
 manum eludere videatur; ea propter Hippocrates τὸ θείον  
 pesti inesse, quod elementorum naturam superet, pro-  
 nuntiavit. Comparata vero hæc veneni pestilentis qua-  
 litas ita esse debet, ut fermentò suò peculiari, aut peregri-  
 nõ massam inquinat sanguineam, inquinatam pervertat,  
 resolvat, aut coagulet, & pro ratione veneni vel 10. 16. 24.  
 horarum spatiò, vel trium quatuorve dierum intervallò  
 jugulet & prosternat. Subtile admodum est hoc miasma  
 pestilens, sale alcalinò summè volatili acri, corrosivò  
 pollens, aëreã suã naturã facillimè corpora pervadens,  
 inopinatò inficiens & citissimè interimens, & prout  
 vel in majori, vel minori adest quantitate, corpusque vel  
 magis, vel minus dispositum & receptioni aptum ingre-  
 ditur, etiam diversos & funestos sæpissimè edit effectus,  
 ob summam & subitanam perniciem, quam in sinu fovet.

Hæc



Hoc enim massæ sanguinæ communicatum fermenti ad-  
 instar inquinat, nemiâ suâ volatilitate eandem penetrat,  
 humores fermentare & ebullire facit, usque dum fero-  
 ciâ suâ balsamum sanguinis dissolverit; quâ *Ααλύσα* factâ,  
 omnibus partibus interitus adest certissimus. Præsen-  
 tiam autem hujus *Θλι* volatilis arguit non solum mo-  
 dus, quò in corpus nostrum agit, sævissimè; sed etiam  
 sufficienter horrendorum symptomatum *συνδρομή*, quæ sa-  
 tis diversa, imò periculi plenissima est, probat partim  
 veneni volatilitatem & acredinem; partim coagulandi vir-  
 tutem exprimit manifestissimè. Ad priorem classem spe-  
 ctant *dolor capitis, vigilia, deliria, oculorum rubedo, calor in-*  
*ternus, sitis, lingue ariditas, nausea, vomitus, inquietudo,*  
*convulsiones, palpilatio cordis, pulsus inequalis, interdum*  
*citior, alvi fluxus, Lemorrhagia* è diversis locis, *sudores*  
*colliquativi, feares.* Altera classis recenset symptomata  
 à coagulatione dependentia, quæ sunt *anxietas cordis, li-*  
*potbymia, lassitudo, virium prostratio subitanea, pulsus*  
*languidus & quasi suppressus, rarus; exanthemata varia, bu-*  
*bones, sopor, tristitia, sudoris absentia, mors subitanea.* De  
 utroque verò principiò participare, plus tamen vel minus,  
 videntur *carbunculus, palpitatio cordis, tremor, horror, pul-*  
*sus inequalitas & alia.*

§. X. Adest denique curatio, quæ talia suppeditat  
 & ordinat præsidia, hujus veneni qualitati exactè conve-  
 nientia. Quid enim opus esset adhibere acida, nisi alcali  
 jam nominatum volatile causticum esset temperandum?  
 Eccur resolventia, volatilia pariter & fixa, & *Θλια*  
 volatilia, cinnabarina omnisque generis diaphoretica,  
 externa æquè quàm interna adeò proficua censerentur, si  
 absq; stagnantis & coagulantis sanguinis resolutione resti-  
 tui possint hi ægri?



§ XI. Sunt etiam, qui à solâ putredine humorum pestem derivare audent, forteàn persuasi Galeni autoritate, qui *lib. 6. de loc. aff. cap. 5.* ab humoribus in corpore putrescentibus talismodi affectus oriri asserit, quales ab epoto venenô. *Verùm*, vix sola putredo, quocunque demum describatur titulô, sufficiet ad pestis productionem; sed ut idea veneni communicetur eidem, necesse est.

§. XII. *Cbimici* à principiis suis uti omnes morbos, ita & omnium vehementissimum, deducunt. Tria ista notissima, ♁. Θ. & ☿. peccare hic videntur duplici ratione: vel *quatenus* nimium invicem coagulantur; vel *quatenus* nimium à veneno dissolvuntur. Utroque modô ruina paratur certissima. *Paracelsus* accusat hic ♁ ☉cale, ☿rii fumô exaltatum, balsamo vitali maximè infensum. Alii auripigmentalis, alii ☿rialis, alii Θnæ naturæ esse colligunt. Alii aliis venenis comparant, & symptomata exindé dependere judicant. *Kircherus in scrut. de peste* à verminosâ progenie derivat; quem & *Langius* sequitur.

§. XIII. In *essentiâ & essendi modô* consideratæ hæ causæ omnes agunt *quantitate*, etiam minimâ. Exigua portio hujus veneni licet adsit, maximô tamen impetu & violentiâ incomparabili agit in corpora hominum, & non tantum proprios, sed & aliorum, peregrinorum lares intrepidè adgreditur, sternit & citô citiùs devastat. *Qualitas* verò omne punctum malignitate suâ adimplet, cui cordis regia sedes non valet resistere; sed succumbere oportet. Quomodô *μιασμα* deleterium agat, quomodô fermentet, quomodô rarefaciat aut coagulet, dictum antè est. Jam notasse è re arbitramur, hoc non semper aliundè communicari, sed in corpore quoque hominum venenum tale generari, in parte aliquâ foveri posse, usque



dum cordi communicetur, quod, cujus genius notus est, facile cum reliquis humoribus nãa movetur de locò ignobiliore ad nobilissimũ cordis thalamum, qui recipere cogitur idem cum sanguine refluxo per ordinarios canales. Aliundè autem & ab extra qui corpori communicetur, paulò inferiùs determinabitur.

§. XIV. *Causæ mediatae remotiores* quatuor constituent classes: 1. *Supernaturales*, qui DEUS solus est *eis dominus* in probationẽ suorum *καὶ τιμωρίαν* in pœnam peccatorum hoc inducens malum. Hinc non malè dixit *Seneca*, quicquid mali patimur, venire ab altò. Sacra Scriptura edocet, Deum immisisse hoc morbi genus in Ægyptios, eorumque primogenituram enecuisse; Davidis tempore septuaginta millia hominum extinxisse; & exempla plurima ex historicorum libris confirmant. Non incongrua proinde exclamatio *Arctei* hic erit, quã quidem de *diuturnis l. 2. c. 12.* loquitur, applicanda: Causam veram soli Dii noverunt probabilem, homines. A sagis & lamiis pestem quoq; inductam fuisse, testantur monumenta *Herculis Saxonia.*

§. XV. *Inter mediatas remotiores causas naturales* primatum obtinet *temperamentum* calidum & humidum, quod magis proclive aptumque judicatur ad venenosa semina recipienda. Neque illi hic excludendi sunt, quorum humores ad motum magis sunt proclives. 2. *Sexus* ratione vix dabitur hic prærogativa. In sequiorem rariùs, in masculinum frequentius observata est pestis grassari. Nam teste *Liviò* pestis Romæ solos viros invasit superstibus mulieribus. *Tbuanus lib. 64. historiar* adnotavit, quòd ex noxio vapore honestiores viri trecenti & ultrà, remediis frustra adhibitis, perierint. *Ungernus* contra re-



fert, pestem sequiorem sexum longè magis adgredi ob re-  
 tenta menstrua, quàm potiorem. 3. *Ætas* omnis huic  
 labi obnoxia, una tamen magis, quàm altera. *Puerilis*  
 humiditate nimia scatens paratissima est; mox *juvenilis*  
 in vitium flecti cerea quæ aliàs est, intemperanter vivens,  
 sequitur. *Senilis*, si nimia humiditatum aut cruditatum  
 copiâ non fuerit referta, à Plinio dicitur non adeò pericli-  
 tari *lib. 7. hist. nat. c. 50.* Experientia verò, oculata illa te-  
 stis, edocuit proh dolor! per nuperos annos nullam æta-  
 tem, nullum sexum prærogativam habuisse, sed omnium  
 ætatum corpora in quantum cumulaverint cœmiteria,  
 detexit. 4. *Vernali & æstivali* tempore furit Hannibal sævi-  
 tiemq; suam spargit per *autumnum*, ubi morbi maxima ex  
 parte acutissimi fieri solent & exitiales juxta *lib. 3. aphorism.*  
*Hippocrat.* Extenditur simul in *hyemem* usq; , à cujus frigore  
 virus plerumque coercetur & infringitur suum.

§. XVI. Ex causis naturalibus i. est *Aer*, qui non juxta  
*Helmont. & P. J. Fabrum*, aliosque carum admodum est na-  
 turæ elementum, quod omnium seminum receptaculum,  
 in quo semen generale mundi & naturæ est, sine quo nec  
 animalia, nec vegetantia ulla, aut mineralia durare que-  
 unt, cum ab eodem nutriantur & conferventur omnia;  
 nullibi tamen juxta eosdem purus existit, sed fracedine ac  
 mucore venenoso inquinare potest; qui subtilitate suâ  
 corpus undiquaque intrans ac penetrans spiritus ac hu-  
 mores nostros pessundare valet. Varias autem ille à *su-  
 perioribus* non minùs quàm illis, quæ *infra & circa nos* ver-  
 santur, mutationes subire cogitur. Superiora sunt *astra*,  
 quorum distemperata commistio mutationes varias tum  
 in aère, tum in corporibus nostris excitare scribitur.  
**Gemellorum positus in IIX. sub adspectu quadrangulari**  
 ma-



malefici ꝑ pestem inducere creditur. Talem verò gene-  
sin, (sunt verba post fata etiam celeberrimi *Rolfincii, ord.*  
*& meth. med. spec. comm. lib. 2. sect. 3. cap. 52.*) habuit *Joh.*  
*Greisladius*, SS. Theol. D. ac Superintendens Weisenfel-  
sensis, qui unà cum uxore peste periit. *Paulus de Sorbait*,  
S. Cæs. Mæjestatis Viduæ Medicus in tract. *Freundliches*  
*Gespräch über der Contagion der Pest/q. 3. & 4.* proponit  
coniunctionem  $\text{H} \& \text{Z}$  certam pestis præter lapsi anni 1678.  
matrem præprimis si subsequatur eclipsis lunaris sub signo  
 $\text{♋}$ ,  $\text{♌}$ , qualis accidit die 15. April. Anno 1679.

§. XVII. Manifestior autem est mutatio, quæ ab  
*inferioribus* nobisque magis vicinis, aëri accidit. Ab ex-  
halationibus scilicet terræ tetræ, arsenicalibus omnisque  
generis nocivis, sive post terræ motum, sive per aliam in-  
opinatam aperturam è specubus eructentur; similiter pu-  
rescentium cadaverum, non profundè satis humatorum, è  
terræ rimis uligine; longiori quiete corruptarum aqua-  
rum mephyti. Huc quoque spectant cadavera demor-  
tuorum pecorum, quæ in maxima copia in Danubium fue-  
runt præcipitata, simulque ad partes Danubio proximas  
Constantinopolin usque delata sunt. Hæc teste jam *cit.*  
*Autore*, putrefacta in aquis tetro suo odore aerem infe-  
cerunt & pesti non levem dederunt ansam. Sic & si nimio  
urentis syrii æstu flumina, stagna paludes lacus, exiccantur,  
undè ex limò, inque eò hærentibus aquatilibus varii  
generis, abominabiles, animantibusque summè hostiles  
Evolatilis impuro  $\text{A}$ ri junctæ evaporationes in magna co-  
piâ elevantur, quæ inmane quantum aërem deturpare  
queunt, præcipuè si, quod potissimum est, ob ventorum  
diuturnum silentium talium fracidorum effluviolorum  
ventilatio & dissipatio non fieri potest. Talismodi au-



tem fracidò corruptòque aëre præfente, 'quid ergo mirum, si corpora humana tam per inspirationem pulmonibus attrahant venenum, cordi simul communicandum? Neque dubitandum, quin talismodi effluvia venenata ipsis eduliis cibusque aliis misceri possint, postea cum hisce deglutienda. *Περὶ ὧρα* verò hæc ipsa effluvia poris eutis sese insinuant, lympham alterant & sanguinem & denique ipsam cordis officinam invadunt.

§. XVIII. Unde alimenta, *cibus & potus*, situ aut aliò modò correpta, *qualitate* hæc nocivâ disponere corpora valent ad pestem. *Quantitate* nimia cruditates augent, penuriam aut defectum virium spirituumque procurant, & sic corpora valdè ad pestem disponunt, præcipuè si tali modò correpti à fame pressis avidè devorantur. Promovere hæc omnia simul possunt aquarum in cœnosis paludibus stagnantium aut nitrosarum, aut aliò modò vitiatarum ingurgitationes; quæ pestem in exercitus varios induxisse leguntur in historiis.

§. XIX. *Somnus & vigilia*, si modum excefferint, uti plurimis morbis, ita malo etiam huic ansam præbent, dùm naturam destruere magis, quàm conservare videntur. *Motum* corporis quod spectatis, grassante pestilentia promiscuè institutus venenum pestiferum allicit potius in corpus, quàm propellit. *Quiete* nimia corpus torpidū redditur, humores stagnant, per emunctoria evacuatio fieri sufficiens non potest, undè putredo inducitur, tantarum ærumnarum mater fidissima. Similiter addunt hic *ἐπιβάλλον μέγος excreta & retenta*, quando aureæ mediocritatis leges aut excefferunt, aut repagulis soluta suis fuerunt.

§. XX. *Animi pathemata, ira, terror, metus, imaginatio* quantum hic valeant, sufficienter constat. Non tamen

tamen



tamen credimus, hæc sola disponere posse corpus ad pestem; sed corpora jam disposita, vel pestilentielle seminum alentia ab istis ita alterari posse, ut motis simul spiritibus & humoribus, iisque exagitatis excludi debeat pestis.

§. XXI. *Ex rebus præter naturam* examinandum erit ipsum *contagium*, quod à corporibus peste correptis communicatur aliis. Hoc sanè est ipsa nutrix, quæ fovet hanc luem, auget, & in alias terras seminum virulentum spargit. Non vero hoc per *aërem solum* volitat, sed *aliis rebus* sese immiscet, atomisque suis *linum, gossypium, lanam, pannos, pelles pilosas animalium, vestimenta lapides, imò ipsas margaritas, potum item, alimenta, & similia* inficit, in iisque non per mensem, non per annum, sed nonnunquam plures in annos delitescito usque tandem dispositum invenerit corpus, in quod violentiâ, non tamen perceptibili, agat & venenò suò torqueat. Plurimis exemplis illustrari possent, nî temporis ratio brevitatem suaderet. Ipsi proindè Medici *λιμογενεσφοι* ulterius sunt consulendi.

§. XXII. *Differentia* pestis desumitur I. à *formâ*, quâ alia *universalis*, quæ promiscuè & sine discrimine trucidat; alia *particularis*, quæ aliquot solummodò ædes occupat; alia *magis contagiosa*, alia minus. (2.) A *subjecto*; constat enim ex auctoribus, nonnunquam solos senes; nonnunquam mulieres solas, nonnunquam juvenes jugulasse; Interdum nationes certas, aut familias extinxisse. (3.) A *causis*, undè alia à contagio, alia à victu, alia à putredine, alia à supranaturalibus habet originem. (4.) A *symptomatibus*: alia vehementissima, & brevis, exiguo & paucarum horarum spatio absolvens tragediam;

diam;



diam; alia diù durat, perque menses aliquot, imò unum, alterumque virulentiam suam extendit in annum. Quò verò plura, vel pauca adsunt symptomata, eò etiam vel periculosior existit, vel non. Undè alia *gravissima* sibi conjuncta habens symptomata, ut plurimum exitialis est; alia *mitior* aliquatenùs & laxior, quæ à naturæ robore & medicamentis optimis per Dei benedictionem non rarò superatur. Alia denique observatur vel cum, vel sine febre.

§. XXIII. Signa *Αγγυσια* vel imminentem nobis præfagiunt, vel præsentem confirmant. *Imminere* pestem etiam nobis, dictitant *loca vicina*, hæc lue ferè tota devastata; undè veremur, ne contagium etiam ad nostras deportetur ædes per commercia, aut aliò modò. Si à *cometis* derivanda est pestis, certè gravissima subsequi deberet nunc cometam nuperum, panicum animis nostris qui incussit terrorem. *Alii* signa similia desumunt partim à fame, & annonæ caritate; partim à cadaveribus humanis non profundè satis sepultis, à piscibus demortuis & in litora cumulatim projectis, putrescentibus, & ab aliis animalibus demortuis insepultis foetorem virulentum reddentibus, item à morbis aliis, malignis febribus, variolis, morbillis, febribus tertianis, quartanis, promiscuè invadentibus. *Paracelsus* præfagiri scribit pestem, quoties ranarum aut bufonum frequentior observatur soboles. *Alii* signa desumunt à proventu insectorum insolitorum uberiore. *Præsentem* verò ipsa invasio, quæ unò tempore plures & promiscuè jugulat & trucidat, reddit manifestam. Hæc gravissimis stipata observatur symptomatibus, arcem microcosmicam furtim & summâ cum vehementiâ oppugnantibus. Syndrome horum est maxima, & omnium primùm cor invaditur, cujus actiones

vitales



vitales illicò turbantur, calor ab extra ad intra vocatur, undè horror, rigòrque subitus sub primam invasionem. Virus etiam ipsi massæ sanguineæ mistum, *κρίσιον* ejusdem invertit, spiritus ligat, undè anxietates præcordiorum, respiratio ex parte depravata, à malignitatis vehementiâ, quâ non solum massa sanguinea corrupta est, sed etiam vicinæ diaphragmatis partes eandem sentiunt, undè in motu suo turbatio. Pulsus debilis, languidusque adest, & febre simul cor vexatur malignissimâ. *Animales* actiones planè etiam turbatæ observantur, adsuntque dolor capitis, delirium, vigiliæ excedentes, in somnum nimia propensio, memoriæ ablatio, &c. *Naturales* actiones etiam simul corrumpuntur, inverfaque hic omnia videntur. Singultus adest, nausea, vomitus, *ἀνορεξία*, sitis; Item alvi profluvia, diarrhœa, dysenteria, fluxus alii foetidi, nigricantes, colliquativi, &c. Urina pauca, sanctorum simillima sæpiùs, foetida nonnunquam; Sudores frigidi, pauci, foetentes, non ex totius corporis peripheriâ manantes, sed ex fronte, aut extremitatibus stillantes. *Item* maculæ varii generis, bubones, anthraces, carbunculi, modò prorruptionem minitantes, modò latitantes in obscurò, & virulentiam suam in interioribus plenariè exercentes cum interitu certissimò. A quali autem *causâ*, præsens pestilentiae invasio, an ab aëre, an à victu quodam, an à putredine, an aliundè fuerit communicatum, & an possit communicari? doctrina superiùs allegatarum causarum sufficientia demonstrabit signa.

§. XXIV. *Prognostica* signa admodum dubia hic sunt. Siquidem maximus omnium est morbus, & periculosissimus. Cor, principalissimam microcosmi partem, subitò invadit, prosternit & virulentiam in eodem exercet.



Undè difficiles erunt *οἱ προδιαγορεύσεις ὅτι τὸ θανάτου, ὅτι τῆς ὑγείας, predictiones, tam mortis, quam salutis, juxta apbor. 19. Hippocr. lib. 2.* Maximè circumspectus debet esse hic Medicus, nam bona sic visa & salutaria sæpissimè in momentò mutantur in pessima. Cùm optimè sese habere ægrotantes tales videntur, morti sunt vicini. Non temerarius proindè neque præceps sit medicus in morbò, qui clanculum, & furtim vitam insidiatur. Infida sunt hujus signa, in fronte salutem, in occipitio mortem habentia. Lethalis semper erit illis, quorum viscera aliàs labe quâdam sunt infecta. Quò violentius & intensius agit pestis in naturam, ejusque actiones invertit tam animales, quam vitales, symptomataque atrocissima, vomitum continuum, virium omnium prolapsium, delirium, abolitionem mentis, surditatem, syncopen, animi deliquia, respirationem difficilem, pulsum debilem, vermicularem &c. habet sibi comites. Similiter nulla salus expectanda erit, quando in copiâ bubones, carbunculi & huc spectantia exanthemata & abscessus tarde prorumpunt, aut prorumpentes statim retrocedunt & sese subducunt, quorum malignitas cordi insidias parat certissimas. Funestam quoque statim inducunt carbunculi cordi proximi, pustulæ nigricantes, exanthemata livescencia, fœdi coloris, extremitatum rigor & frigus, collapsus, sudores frigidi, labia veneno turgida, facies Hippocratica & similia. Porro: autumnales pestes semper habentur magis exitiales, & quæ foventur ab Austrò, aut ab aëre venenatò; stragem majorem induxisse semper, testantur historix. *Contra verò, salutis spem faciunt vires constantes, non adeò suppressæ aut collapsæ, respectu ad symptomatum gravitatem habitò & ad expulsionem sufficientes;*

medi-



medicamentis optimis suffultæ, & per sudorifera primò statim insultu propinata à veneno vel liberatæ, vel eodem ad emunctoria alia propulsò, ut ibidem laudabili naturæ conatu ad suppurationem perducatur. Bubones autem & anthraces quò in minori copiâ adsunt, eò magis videtur superabile malum, & mitius habetur. II. Quemadmodum autem pestis est morbus acutissimus, ita & brevissimus, qui naturâ suâ, sæpè 24. horis jugulat, nonnunquam tertio, quarto, septimò; raroque nonum diem attingit. Ita plures cum protrahitur malum hoc in dies, salus quoque certior expectanda erit. III. *Eventus modum* quod spectat, malignitate ab interioribus ad extremitates detrusâ ab it in bubones, carbunculos, exanthemata alia, quæ si statim primis diebus prorupuerint, & quò citius ad maturitatem fuerint redacta, venenò sic è corpore propulsò, spem restitutionis in integrum faciunt.

§. XXV. Mentio facta est §. 23. pestis imminētis, quam præcavere; & præsentis, quam κατὰ δύναμιν tollere debemus; ut utrique satisfiat, omnem, licet brevibus, operam impendamus. Prior uti naturâ, ita quoque ordine & modò illam posteriorem antecedit, inque causarum ablatione & justâ corporis contra irruentis veneni vim firmatione consistit. Hæc tribus modis institui debet: I. Ut *Deum iratum* seriâ pœnitentiâ moveamus ad misericordiam, & vera, non simulatâ vitæ emendatione placemus. Immisericors enim non est Deus noster, ut patiat se non exorari & quidem per Christum, corporis ac animæ nostræ Archiatrum, qui nos liberat à peste, quæ in tenebris grassatur, & à luce, quæ die circumvagatur. Ut voti compotes evadamus, ecce! ipse factus est inferno pestilentia & morti venenum.



nos sanos reddat. II. *Magistratum* oportebit omni modo eò niti, ut fordes omnisque generis quisquiliæ & recrementa removeantur, expurgentur, ædes, plateæ & omnia loca mundata ferventur; simulque vigilantem esse, ne temerariè contagium admittatur. Evitari hoc malum poterit ulterius, divinà gratià, si advenæ & peregrini non promiscuè admittuntur, sed prius examinantur, excluduntur, & negotium cum ipsis interdicitur, jubente sic Magistratu superiore. E re quoque erit, ut conventus publici quantum poterit, evitentur; ædes infectæ diù occlusæ ferventur; conversationes cum infectis omittantur. Virus enim fortissimum est, quod sibi simile non habet, vel in vestibus, vel aliter occultatum & sic quasi sopitum visum, levi de causâ moveri & halitu subtili tum præsentem invadere potest. Hujus rei exempla sunt in promptu iis in locis, ubi præteritò annò pestis tyrannidem suam exercuit. Omni capropter studiò cavenda sunt ea, quæ inquinati aëris malitiam promovere, vel veneni contagium communicare valent. Stagnantes aquæ & putrescentes aut derivandæ aut planè exiccandæ sunt; cadavera aut comburenda aut profundè satis terræ mandanda, calceque vivâ inspergenda, quæ omnia & alia similia à Magistratu sedulò sunt ordinanda & observanda.

§. XXVI. Potissimum autem post Deum III. hòc in negotiò à Medico expectatur auxilium, qui è triplici præsidiorum fonte commoda ubique & convenientia remedia suppeditabit. Et è *chirurgià* quidem *vene sectionem* depromit, quam cautè tamen & summâ circumspèctione administrabit, nec unquam in usum vocabit, nisi aut plethora insignis urgeat, aut alia consueta aliàs per uterum, anum, aut nares suppressa fuerit hæmorrhagia: sectatus *Galenum*,  
qui



qui *lib. 1. d. differ. febr. cap. 4.* ubi de præservatione à febre pestilenti agit, purgationis quidem & obstructionum a-  
 pertionis, nullam verò phlebotomiæ mentionem facit.  
 Manet nihilominus sanguinis detractiō in tempore in-  
 stitutæ, & debitis limitibus inclusæ, sua laus apud Practicos.  
 Neque interdicendæ penitus videntur *cucurbitula* iis, qui  
 longò tempore earum usui sunt adsueti. *Fonticulis* ta-  
 men plus tribuendum censemus, quorum commoda si ex  
 Autorum scriptis recitare vellemus, amplam encomio-  
 rum farraginem inveniremus. Evacuant sensim absque  
 ullâ jacturâ virium pravos humores, sicque sanguinem  
 liberant; quin non leve attracti veneni præbent indicium,  
 quando vel planè siccantur, vel malè coloratam saniem  
 fundunt.

§. XXVII. E *pharmacis* depromuntur *lenientia* &  
*purgantia* ἀνω καὶ κατώ, quæ uti cacochymis imprimis de-  
 bentur, ita ea eligenda, quæ corporis ac humorum naturæ  
 respondent, hæc cautione adhibitâ, ut benigna sive mi-  
 tiora usurpentur, à fortioribus abstinendo, quæ aut colli-  
 quando, aut nimium agitando & fermentando nocivam  
 virium resolutionem causari, vel in sanguine turbas exci-  
 tare valent: Et sic quam egregiè ad pestis semina reci-  
 pienda disposuisse corpora, tristes sanè observatorum re-  
 lationes ostendunt. Sufficiant itaque è simplicioribus  
*senna*, *polypodium*, *serum lactis*, *rhabarbarum*, à cuius usu  
 quotidianò *Zaccharias à Puteo*, *Medicus quondam Venetus*  
 à peste per XXVI. annos durante immunis evasit. Ex  
 compositis: *elixir proprietatis purgans*, *pilula Ruffi*, *Min-  
 dereri*, *Cratonis*, *Angelica*, *rosata*, *sanguis rhabarbari*, & si-  
 milia.

§. XXVIII. Commodissimè quoque prima regio



expurgatur vomitoriis, quæ felicissimò sæpè cum successu liberant præcordia à saburrâ inhærente. Suntque *Electuar.* *Agouipæ Fernelii*,  $\nabla$  *benedict. Rul.*,  $\text{♀}$  *rus emeticus*, *Æriusvite*, *Diæles pulveres alii*, *oxysaccharum* & alia, à Medico emetienda. Vid. *B. Dn. Ludovici Pbarmacop. à pag. 202. usque 213.*

§. XXIX. Maxima verò spes in *sudoriferis* atque *alexipharmacis* sive *bezoardicis*, quæ tanquam sacra sunt anchora, collocari debet. Hæc enim non expellunt modò, quicquid vitiosum in corpore hæret, eaque ratione omni p. n. fermentationi ansam præscindunt, sed motum simul ac liberam humorum circumrotationem conservant, quò ipsò à deleteriâ coagulatione eorundem, spirituumque suffocatione homo immunis redditur. Sunt eadem *interna* atque *externa*, & cum iis, quæ in ipsâ pestis curatione exhibentur, adeò conveniunt, ut non nisi doses quantitate & frequentiam applicationis inter se distinguantur. Extolluntur inter ea *acida* & ex his *acetum vini simplex*, aut speciebus alexipharmacis vigoratum. Huic solo, singulò mane cochleatim, cum paucillò panis hausto, *Sylvig tr. de peste §. 489.* sanitatis incolumitatem & à pestiferi miasmatis noxâ immunitatem singulari fiduciâ tribuit. Si verò nativa alicujus aut morbo quodam inducta corporis constitutio aceti potum ferre recuset, illi, ut vel solò ejusdem odore, ex spongiâ madefactâ & naribus continuo applicata attractò, ingredientem aërem corrigat, vel meracioris vini haustu, pomò citri, aut limonum bezoardicis herbis exaltatò, jejunum corpus muniat, autores sumus. Nemini autem hic crebriorem *aqua*, vulgò dictæ, *vite* usum suadere volumus, deterriti funestis illis à *Diemerbrockio tract. de peste* aliisque recensitis indè secutis successi-

cessi-



cessibus. Singulis contra septimanis semel vel bis ex infra recensendorum classe sudoriferum aliquod & bezoardicum sibi quisque commendatum habeat, eoque si fieri potest, bonam sudoris quantitatem expellat. Domò exiens *myrrha*, *zedoaria*, *angelica*, *levistici*, particulam intradentes gerat; naribus item & pulsibus *balsama antiloimica* illinat. Ubique tamen: *ne quid nimis*, observandum.

§. XXX. De *Amuletis* quæ legimus, non planè rejicienda videntur. Non promiscuè omnibus adeò fidendum, qui hieroglyphicis aut intricatioribus figuris signata sunt; neque consultum corrosiva venena, ∞ aut ∞, &c. propius cuti admovere. Non abs. re tamen erunt *appendicula* ex alexipharmacis, cordialibus, balsamicis concinnata, & *olis* irrorata, & ad scrobiculum cordis de collo suspensa. Quibus etiam lubuerit, *§ vitum* nuci aut calamo anserino inclusum de collo suspendere & gestare, ii potius commodum, quàm incommodum ab eò habebunt. Hæc de prophylaxi.

§. XXXI. Jam ad ipsam *curationem*. Si itaque Medicus ad ægrum vocatus ex signis supra recensitis peste correptum esse cognoscat, tunc vel nunquam, vel rarissimè cogitare debet de mittendo sanguine. Licet sint, qui è venâ apertâ multum etiam hîc levaminis proflire autumant, plus tamen damni, quam commodi sentient; nam unâ cum sanguine naturæ robur simul detrahitur, quæ postmodum veneno pestilentiali orbata spiritibus & viribus imminutis resistere insufficiens erit. Non ergò nisi summa plethora urgeat, & in primo principiò hoc heroicum aliàs remedium in usum vocandum erit.

§. XXXII. Tutior *vomitiorum* usus esse potest, cum non rarò illa à nausæâ præsentem, vel ad vomendum,

pro-



propensione indicentur ; Imò ab ipsis ingestis statim post  
pastum, in ipsa invasione suadeantur. Quid enim si post pa-  
stum statim quis corripiatur pestis horrore, aut aliis hu-  
jus morbi prodromis, videtur hîc propinari posse, quàm  
*emeticum*, cujus beneficio non solum è ventriculò inutilis  
nunc esca rejicitur, sed simul præcordia ab attractò venenò  
liberantur, si non in totum, tamen in tantum. Purgan-  
tium verò, quà talium, usus hic erit nullus.

§. XXXIII. Nam nulla datur hic mora ; sed omni  
studiò allaborandum eò, ut medicamenta causæ morbi-  
ficæ quàm citissimè opponantur. Hæc autem cum du-  
plicis sit generis, neque unius generis medicamentà ad-  
mittit. Potiora tamen sunt *sudorifera*, eaque vel *acida*,  
vel *alcalia volatilia*, non tamen exclusis fixis  $\Delta$ reis mine-  
ralibus, & absorbentibus terrestribus. Prioris generis  
sunt *aceta bezoardica, tberiacalia*, quæ temperant acrimo-  
niam & ferociam  $\ominus$  volatilis pestilentis, simulque inci-  
dunt crassos & viscidos humores & sanguinî tonum resti-  
tuunt. Reliqua sunt *volatilia*,  $\ominus$   $\ominus$  C. C., *viperar., eboris, flo-  
res  $\Delta$  simpl. & cum myrrhâ,  $\ominus$  diaphoret., bezoardica* omnis  
generis, *cinnabarina,  $\ominus$  diaphoreticus.* *Bolus armena, terra  
lemnia, unicornu fossile, & alexipharmaca* in specie sic dicta.  
**RADICES:** *angelic., carlin., contrabieru., dictamn. nostr.  
alb., imperator., olsnitii, scorzoner. Zedoaria.* **HERBÆ:**  
*galega, scordium, card. bened. flor. calendul. & id genus alia,*  
ex quibus prostant variè præparata & composita. *Tincture  
bezoardica variarum inventionum, Elixir pestilent. Crollii,  
Mistura simpl. Tberiac., Mitbridatium, diascord. Fracastor.,  
Orvietanum, Electuar. d. ovò.* Hæc vero omnia partim balsa-  
micâ, partim resolvente suâ virtute & præcipitante, acria  
 $\ominus$  lia obvolvunt, tollunt, & naturam juvant, ut contra  
in-



infensissimum hunc Tyrannum insurgere & fugare eundem queat.

§. XXXIV. Exhibentur verò, simul ac levissimum, hausti veneni indicium persentiscitur, & continuatur eorum usus, donec ab omni malo corpus fuerit liberatum. Singulis 6. vel octo horis sudoriferum bezoardicum in vehiculò appropriatò propinari debet; post sudorem autem vel *pulvis bezoardicus* vel *potiuncula* confortantes ex *aq. Cordial. H. S. frig., carbuncul. card. bened. galeg. scorzoner. fl. calendul., XII. Apostolorum, contra malignas febres, bezoardic. simpl. & composit. Propbylacticâ Barbett. &c.* paratæ adsumi. *Fulepis* qui delectantur, acidulum gratumque ipsis conciliare possunt saporem succò citri, berberum; spiritibus item mineralibus  $\ominus$ .  $\ddagger$ . &  $\oplus$ li, quorum usum insigniter inter alios commendat *Mindererus lib. de pest. cap. 15.* Nulla, *inquiens*, est putredo, cujus vires non frangant; nulla infectio, quam non superent; nulla humorum depravatio, quam ista non corrigant. *Emulsiones, electuaria, confectioes, rotula & similia* etiam à Practicis commendata, nobis non adeò arrident.

§. XXXV. Internis medicamentis conjungenda sunt *externa*: *odoramenta* varii generis naribus pulsibusque & cordiali regioni adplicare jubent, *inunctionesque* ordinant cum *oleò scorpionum simpl. & compositò Mattbioli, bals.  $\ddagger$ . ol. citr. angelic. rut. succin. & compos. bezoardicò.* Ex his *balsama antiloimica* parata prostant. Horum virtutem *sacculi & epitbemata* specifica promovebunt locis nominatis imposita.

§. XXXVI. *Symptomatum* ratio quoque habenda, quæ sæpè nimium urgent & quidem *externè* bubones & carbunculi, *internè* capitis dolor, vigiliæ, deliria & alia.

D

Hæc



Hæc anodynis notis demulcenda, simulque omnia ad malignitatem præsentem dirigenda & alexipharmacis specificisque antipestilentialibus maritanda. Materiam hæc præbent idoneam *aqua bypnotic. Dornevell., cord. H. S. frig. verbena, solani, rosarum.* Item sem. 4. *frig. maj., papav. alb., pæon., citri, fl sambuci, nucl. persicor., jugland. cerasor. &c.* Quibus cum granô salis & ex opiô parata, misceri possunt.

§. XXXVII. Bubones autem & carbunculi aliam tractationem expectant. His enim acida corrosiva, donec exciderint; hinc mundificantia & consolidantia; illis autem attrahentia, eaque, quæ jam ultimô locô de anthracibus dicta sunt, conveniunt. Inter *attrahentia* locum inveniunt cucurbitulæ, & vesicatoria, quorum tamen adplicatio & operatio justô tempore instituenda erit. *Sapphirus* quoque, saturatô colore cœruleo ornatus circum bubonem pestilentialem in gyrum crebrius ductus, usque dum circulum atrum inducat, frictione suâ venenum tanquam per caminum educere scribitur. Sic quoque *succinum* attritione uti calefactum aliàs paleas attrahit, ita circumductum bubonibus pestilentialibus venenum ex iisdem elicere creditur. *Bufo*, horrendum licet aspectu animal sit & deterrimum, venenosum ac abominabile; usum tamen habere egregium in pestilentialis invasionis curatione & præservatione, magnorum Medicorum est opinio certissima. Exindê *amuleta* sive *Xenexta* & alia parare hi solent antidotorum genera. Hæc magni æstimantur ab *Helmontiô, P. J. Fabrô, & aliis.* *Arcana* talia collegit, modumque utendi & adplicandi exhibet ex cit. Authoribus *Atbanasius Kircherus in scrutin. suô de peste sect. 3. cap. 6.* qui ipse videri poterit. Locum quoque inter attrahen-

trahen-



trahentia non infimum habebunt *cepa sub cineribus cocta, sem. sinapios, herba paridis c. suis baccis, succinum pulverisatum, cum fermento acerrimo in formam cataplasmatum reductum, pulvere bufonum in suff. quantitate addito. Emplastrum ex gumm. ammoniac. bdellio, resina abietina, oppopanax. huc similiter spectant.*

§. XXXVIII. Emollientia & maturantia sunt jam nominatae *cepa cocta, ficus, flor. chamæmel. summit. meliloti, ulmar. sem. lin. fan. grac. farin. bord., avenac., cum oleis scorpion. sambuci ex acinis, balsamo Atris in forma cataplasmatum adplicata, additis theriacâ, crocô, melle anthosat. & similibus. Si verò expectationi hæc non satisfacere observentur, confugiendum erit ad emplastrum diachylon c. gummatis, magneticum A. S., cum oleo scorpion. compos. Matthioli malaxandum.*

§. XXXIX. Maturatione factâ, *aperiantur bubones, vel ferro, vel cauterio potenciali. Ex his laudem ferè meretur omnem butyrum §ii, quò locus affectus illitus in summitate relinquitur usque dum exsicccatus fuerit. Aliis placet corticibus fraxini calcinatis & in globulum deligatis urere summitatem bubonum. Ustione tali factâ unguenta: egyptiac., maturativ. ex ol. chamom. lin., cum modico croci & vitell. ovar. parata calidè adplicata profunt & sæpius reiterata, usque dum ulcus rumpatur. Tunc ruptoriis instrumentis foramen dilatandum, & mundificatio instituenda per Emplastrum: sticticum, opoteldoch, & alia ab Autoribus descripta. Pro ratione bubonum non satis suppuratorum, prænominata emplastrum cum emplastro de melilot. oxycroc. vel etiam c. ☉ ☿ fatidô nigr. misceri & applicari poterunt. Consolidationem partium, ad naturalem statum reducendarum promovebunt sarcotica & epulotica, quæ Chirurgus providè & circumspèctè adplicabit, & ne venenum retrò cogatur, cavebit; sed ut semper antipestifentialia, à Medico præscripta, intus fumantur, diligenter admonebit.*

§. XL. Cum verò absque convenienti sex rerum non-naturalium moderatione frustra hic tententur omnia; æquum erit, Diætæ leges accuratè observare. Quod circa ambientis



*aëris puritas* omni studiô comparanda & conservanda. Huic scopo luculentus ignis non in publicis solum locis per compita & plateas accensus, ex præscriptô Hippocratis, inserviet, sed etiam privatos inter parietes quilibet eundem alere, injectisque  $\Delta$ , myrrhâ, succinô, granis juniperi aliisque alterare potest & debet. Locus ipse, quem æger occupare cogitur, sit luminosus, purus & aceto rutaceô, bezoardicô, sæpius corrigatur, eôque & jam nominatis crebrò prunis inspersis suffimigetur. *Cibus* utendum,  $\epsilon\upsilon\chi\acute{\upsilon}\mu\omicron\iota\varsigma, \epsilon\upsilon\pi\acute{\epsilon}\pi\iota\omicron\iota\varsigma$ , quibus *cichoreum, acerosa, endivia, cocta* admisceantur, aut *succus granatorum, ribium, berberum, citri, limonum*, instilletur. Imò & ipsi fructus concedi possunt, & *gelatine CC., eboris. succo citri & berberum coloratæ & exaltatæ*, nisi symptomata disfluadeant. Vinum in actu curationis solummodò conceditur, ad refectionem,  $\delta\lambda\iota\gamma\acute{o}\phi\acute{o}\rho\omicron\iota$ . In præservatione generosius conceditur, quod utilitatem majorem habet, dum curas pellit metumque, sanguinem spirituosum reddit, & efficaci balsamo eundem conservat. *Cerevisia* nitrosior eligenda, nec parcâ manu præbenda. Alteranda hæc est *Tinct. violar. rosar. & flor. cordial. c. sp.*  $\ominus$  *olis extractâ, clyff. ℥ii*  $\Delta$  *rat.  $\oplus$  & aliis acidis.* *Alvus* non violenter turbanda; sed blandè officii sui admonenda. *Vigiliis* hebescunt nimis *~tus* & consumuntur; *somnus* verò restituit, nisi fuerit nimius. *Motus* moderatior præ quiete eligendus, ne torpidior redditus sanguis aut stagnationem, aut coagulationem minitetur. *Animi pathemata* ita componantur, ut pulsus mœrore & tristitiâ, robur indies addatur, ac generosa confidentiâ pectus firmetur. Sint procul curæ atque metus, hilari fronte hîc est opus. Absurdum enim intempestivâ sollicitudine sibimet ipsi accersere & dolere malum, quod tunc mutari nequit. Exulent proindè terror, ira & animi excandescencia. Bonô modò sit animo æger, confidat DEO, naturæ & hujus ministro; & sic per DEUM optimus impe-  
trabitur

F I N I S.